

de Cultu Sanctorum.

modatiora. Nam i. Concilium dicit, ad Sanctorum Orationes, opem auxiliumque confugiendum esse; Ergò falsum est Papistas tantum ad sanctorum orationes, non etiam ad sanctorum auxilia confugere solere & debere. Nam quod dicitur ob beneficia à Deo impetranda per filium ejus Iesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor & Salvator est, ad sanctorum Orationes, opem auxiliumque esse confugiendum, ex quo nasutiores fortè colligent confugiendum esse ad sanctos, non ob beneficia impetranda ab ipsis, sed ob beneficia impetranda à Deo, mediante precum efficacia, per ipsos, id duplici argumento vanum esse convincitur. Nam i. si supponamus sanctos non tantum oratione, sed & auxilio, calamitosis ad sese clamantibus præstò esse, nihilominus manet quod Concilium dicit, ob impetranda à Deo beneficia ad sanctorum orationem, opem & auxilium confugiendum, quia auxilia secundum suppositionem nostram, per sanctos ad miseròs descenduntia nihilominus à Deo descenderent, quia omnis sanctorum facultas ad opitulandum necessariò præsupponenda est esse à Deo, & quævis quantumcunque maxima facultas nihil potest, non volente & permittente Deo. 2. Si vocabulum auxilij, in Concilij contextu, accipiendum est non propriè pro auxilio, sed impropriissimè, contra universalem rectè loquentium usum, pro oratione ad impetrandum auxilium, sequeretur vel tantum Concilium, in tanta re voluisse absurdissimè nugari, & dicere, confugiendum esse ad orationes & auxilia orationum, vel datà operâ ijs prætextum præbere, qui non tantum oratione, sed & auxilijs, sanctorum uti vellent. Quis enim Jesuiticarum æquivoca-

tio-